

DE
PROTOCOLLO FEVDALI

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

P R A E S I D E

D. CHRISTIANO GOTTLOB BIENERO

IVRIS NATVRAE ET GENTIVM PROF. PVBL. ORD.

A. D. III. SEPTEMBER. CICICCLXXXVIII.

H. L. Q. C.

DISPV TABIT

A V C T O R

GOTTLOB AVGUSTVS MVILLERVS

M I S E N V S.

L I P S I A E

E X O F F I C I N A S O M M E R I A.

1788, 8.
422.

PROTOCOLLO HERDARI

PRIVATIS FORTORUM ORDINE ALTOVITATE

PRÆSIDE

D CHRISTIANO GOOTSONIUS

1700 MCMXCVII EDITIONE TERTIA. TAV. 200.

AD III SEPTEMB. CICEDONIENSIA

PROCE

ALTOVITATE

PROTOS

GOTTLOB VAGASIAS MILITARES

MISERICORDIA

FESTA

1700 OCTOBER 30. ROMANIA

D E *deutsche* *deutschland* *deutsch*

PROTOCOLLO FEVDALI.

Quid sit Protoeollum feudale breui explicatur.

Tria fere instrumenta de rebus et actis feudalibus confici solent, litterae inuestiturarum in securitatem vasallorum inuentae, antapochas, quas reuersales vocant, a vasallis potentioribus cautionis gratia Senioribus datae, et protocolum, quod in curia clientelari fide et auctoritate publica scribi solet. De litteris inuestiturarum et cautionibus vasallorum iam satis viri docti exposuisse mihi videntur, sed qui de protocollo feudali dedita opera scriperit, quamvis in decisionibus causarum feudalium maxima eius sit auctoritas, inueni neminem. Quasi ob rem, data mihi scribendi facultate, breui de protocollo feudali disserere constitui, ita quidem, ut primum historiam eius enarrarem, deinde fidem in decisionibus causarum feudalium examinem: quem equidem laborem non plane inutilem fore puto. Protocolum autem feudale dico, vt haec etiam tractatio

a definitione proficiscatur, constetque, de quo disputetur, instrumentum, quod fide et auctoritate publica de gestis et actis in curia clientelari conficitur. De materia quidem et forma eius infra dicam: finis autem est, ut memoria eorum, quae geruntur in iudicio feudali, constet et ad posteritatem propagetur. Etenim maximi momenti res, quae adeo vim in viueriam populi salutem habent, in curiis clientelaribus explicantur; inuestiuntur vasalli praediis, iuribus, regalibus, territorii regnisque, constituantur iura successionum feudalium, definiuntur causae feudales, ut multa alia taceam. Itaque e republica esse populorum territorialiumque rectores existimarent, ea quae in curia feudali gerantur, agantur, contrahantur, fide et auctoritate publica consignari, quod equidem institutum tam laudabile, quam salutare et frugiferum, atque adeo necessarium in civitate puto. Itaque in historia eius enarranda fideque definienda versabor.

I. SVCCINCTA PROTOCOLLI FEVDALIS HISTORIA.

§. II. *Historia Feudalium*

De Protocollo feudali ex Capitularibus Regum Francorum.

Quamquam omnes Germanorum populi instituta feudalia habuere, ad formam tamen quandam apud Francos primum redacta, cum regime ciuitatis iuncta et inde per Italianam, Hispaniam, Germaniam, ipsamque Britanniam propagata fuerunt. Quare operae pretium fuerit quaerere, an apud Francos reperiatur Protocollum Feudale. Quoad vasalli in conuictu Regis erant, tabulas, quibus et nomina eorum et fides data et exacta comprehendenderetur, fuisse, prorsus credibile est: istud autem, quod nos quaerimus documentum, acta scilicet pleniora et accuratiora, quae protocollo feudali continentur, cum beneficiorum possessione deum coepisse videntur. Principis enim et Senioris atque ipsius adeo ciuitatis intererat scire et ad posteritatem prodere, quae praedia vasallis in

in usum et fructum tradita essent, qui ad belli munia subeunda cum
 equis et armis euocari possent, ut plura alta taceam. Itaque ori-
 gines ab antiquioribus temporibus repetendas puto, testimonium
 tamen Caroli Magni temporibus antiquius reperire non potui.
 Hic autem in CAPITULARI III. anni DCCCXII. cap. V. - VII.
 constituit: *ut Missi nostri diligenter inquirant et describere faciant*
unusquisque in missatico, quid unusquisque in beneficio habeat, vel quot
homines castatos in ipso beneficio, quomodo eadem beneficia condicula
sint, aut quis de suo beneficio allodium comparauit vel struxit, ut non
solum beneficia Episcoporum, Abbatum, Abbatissarum, atque Comitum
sue Vasallorum nostrorum, sed etiam nostri scisci describantur in breue,
ut scire possimus quantum etiam de nostro in unius cuiusque legatione
habeamus. Hic primus et antiquissimus forte est, qui de protocollo
 feudali, quod Breue latinus appellatur, tractet locus. Legatis
 igitur Augustalibus demandatur, ut inbreuient beneficia cum per-
 tinentiis, atque eurent videantque, ne aut negligentia cultorum
 deteriorentur, aut iure allodii possideantur, tabulasque has ad Prin-
 cipem deferant. Evidem Breue hoc prima Protocolli feudalis conti-
 nere initia non dubito, quanquam formam eam, quae hodie obtinet,
 postea demum in Italia accepit. Per turbulentia, quae Carolum M.
 et Ludovicum Pium Augustos secuta sunt tempora, quod tam
 salubriter institutum fuerat, exolevit, vt in Francia Occidentali, in
 qua vasalli, Carolidis adhuc regnantibus, ad summum potentiae
 fastigium adscenderant, quae regis olim fuerint, deesset memoria.
 Itaque ipsi ordines, ut Protocollum feudale et istud Breue restitu-
 eretur, in CAPITULARIBVS CAROLI CALVI Tit. VII. c. 20.
 ita suadent: *Videtur nobis utile et necessarium, ut fidèles et strenuos*
Missos ex utroque ordine per singulos comitatus regni vestri mittatis,
qui omnia diligenter inbreuient, quae tempore cui et patris Vestri in
regio specialiter seruitio, vel in vasallorum dominorum beneficiis fue-
runt, et quid vel qualiter, vel quantum exinde quisque modo retineat;
et secundum veritatem renuntietur Vobis — ubi autem fraus inuenta
fuerit, una cum consilio fidelium vestrorum hoc taliter corrigite, ut
ratio atque utilitas seu iustitia non deseruantur et dignitas Vestrae magni-
ficentiae ita vilis non fiat, sicut vos non decere recognoscitur, quoniam
domestica

■ ■ ■ ■ ■

domeſtico domus Veftra aliter obſequiis domeſticorum repleri non poterit, niſi habueritis unde eis meritis reſpondere et indigentiae ſolatium ferre poſſitis. Ex quibus locis ſatis intelligitur, indicem aliquem ſeu Breue beneficiorum auctoritate publica et fide legatorum Auguſtalium conſcriptum, ab hoſtiernis tamen feudorum Breuibus curiarumque clientelarum actis diſcrepans, in viu fuiffe, neque dubito, exorta diſceptatione inter dominum et vasallos de beſicio, probationem decisionemque inde depromtam fuiffe, vt adeo ille ipſe index antiquiſſima Protocolli feudalis veſtigia demonſtrare videatur.

§. III.

De veris Protocolli feudalis cauſis, ortis que inde litteris inveſtiturarum et cautionibus vasallorum, quas reuersales vocant.

Formam Protocolli feudalis in Italia ortam, atque ad Germanos propagatam eſſe vniuersa iuriſ patrii historia docet. Ille enim feudorum beneficiorumque index, inde a Carolidarum aeuo vſurpatuſ in Italia, frequentari inque hoſtiernam formam redigi coepit, ex quo Conrađus I. Auguſtus iudicium feuſe celeberrima illa lege, in caſtris apud Mediolanum anno MXXXVII. lata, conſtituit. Quamquam enim et ſuccellio feudorum et Parium curia more maiorum iam obtinebat, iſta tamen lege Senioribus neceſſitas imposta fuit, vt ne aliter de feudiis eorumque iuriibus iudicarent, niſi conuocatis curiae ſuae vasallis iudicibus. Itaque iudicium feuſe ad exemplar aliorum iudiciorum eformatum, et Notariis fide publica conſtitutus fuit, qui acta conſcriberet. Tali paſto ex illo beneficiorum breui apud Francos vſitato, atque ex commentariis iudiciorum, more maiorum ipſisque Iuſtiniani legibus in Italiae iudicis fide tabellionum ſcribi ſolitis, ſec. XI. Protocolloſum feuſe paulatim conſtat et in curia Parium receptum fuit. Ab eo enim tempore in iudiciis Italiae clientelaribus commentarios rerum feuſalium a Notariis ipſisque iudicis tabellionibus fuiffe confeſtos et ad.

ad ipsam iudiciorum feudalium formam relatos, non probabile solum, sed ipsis rerum gestarum monumentis testatum est. Etenim iudicio Parium ordinato necesse erat, ut et legitime haberetur disceptatio, et cautionum probationumque extarent tabulae, ideoque in commentarios, quae acta et gesta fuerant, referrentur. Domini qui beneficiorum iacturam moribus ac legibus fecerant, nunc de nexu clientelari feudorumque proprietate et seruitiis vasallorum tuendis ac retinendis solliciti, commentarios illos iudiciorum feudalium sibi in primis viles existimarent, ideoque, ut ne vasallorum potentia iuribus suis exuerentur, usum Protocolli, feudalis valde promouerunt. Etenim AVCTOR IURIS FEUDALIS I. Feud. 10. recte obferuat; malignando multa bona auferri dominis, neque id cuiquam mirum videbitur, qui mediis morem et vasallorum potentiam norit. Quam ob rem Seniores existimarent, sua plane interesse, ut acta feodalia aliquanto accuratiora conscriberentur, quamvis vasalli de litteris inuestiturarum impetrantis nondum essent solliciti. Iudicio enim Parium suorum satis tutos se existimantes, sive quoque adeo gladio rem et causam suam, urgente necessitate aut suadente utilitate, defendantes, parum solliciti erant de cautionibus atque scripturis, donec Seniores territoriorum domini, potentatu stabilito, valallis ad subditorum conditionem sere redactis, praeuale lere et late dominari coepere. Itaque nunc e re vasallorum esse videbatur, cautionum habere tabulas, quibus iura et possessionem beneficiorum suorum demonstrarent, ideoque mos inualuit petendi impetratae inuestiture tabulas, quas domini tanquam iuri contrarias recusare non poterant, quia ex commentariis iudiciorum feudalium consecuae, eorum, quae in confessu Parium gesta et acta fuerant, testimonium praebebant publicum. Quemadmodum igitur dominus in disceptationibus causarum feudalium commentarios iudiciorum, ita vasalli cautiones inde depromtas, proferre solebant, nisi forte potentiores in gladio militibusque suis plus fidei quam in cautionum tabulis ponentes, neglectis inuestiturarum litteris, sola possessione tutos se existimarent. Itaque domini praesertim imbecilliores, ut ne potentiores et extranei vasalli fidem nexumque clientelarem et seruitiorum obligationem temere negarent, illo ipso forte

—

forte cautorum vasallorum exemplo excitati a potentibus et extra-neis vasallis fidei et clientelae accepere tabulas, quas reuersales vo-cant. Sed ad Protocollum feudale reuertor, historiam ex ipsis monimentis persecuturus.

§. IV.

Exempla Protocolli feudalis ex medio aevo afferuntur.

Itaque necesse est, ut fide monimentorum, quae differuimus, probentur. Litterarum enim clientelarium cautionumque a vasal-lis datarum nullam iam habeo rationem, sed Protocollum feudale illustrabo. **MVRATORIVS** T. I. *Antiqu. Italic. diss. XI.* pag. 593. tabulas anni MLXXXI. assert, quibus antiquissimum forte Protocollii feudalii exemplum continetur, ex seculo XII. magna talium monimentorum copia apud autores in primis rerum Itali-carum extat, quod ne frustra dictum existimetur, **MVRATORIVS** Tom. I. *Antiq. Ital.* p. 609. commentarios inuestiturarum a tabel-lione super inuestitura anno 1185. a Friderico I. in Guidonem, Rolandinum et Albertinum collata, assert, aliudque pag. 601. legi-tur instrumentum an. 1189. quo Opizo Marchio nescio quem in-augurauit, atque anno 1195. p. 621. Henricus VI. Cremonensi-bus inuestitaram per lanceam et confanonom dedit, vt, quae pag. 622. aliisque locis afferuntur instrumenta taceam. Apud **VGHEL-LIVM** *Ital. Sacr.* Tom. V. pag. 535. haec acta leguntur: anno do-mini MC. nonag. VII. ind. XV. die Iouis XIII. intrante Nouembr. in praesentia — — — Dominus Henricus de Ratione Dei gratia Episcopus Taruifinus inuestiuit Ardenghum de Gherando de sua ratione feudi ita, quod nullum praeiudicium faciat praediſlo Domino Episcopo nec Epifcopatus occasione inuestiturae seu fidelitatis et ipse in continentii S. Mariae de Aſlo et S. Petro de Taruifio — — — fidelitatem fecit contra omnes homines, salua fidelitate suorum anteriorum dominorum si habet. Actum Taruifi in palatio praediſli domini Episcopi. Bon-nus amicus D. Henrici, Regis notarius interfui et scripsi. Plures eius generis commentarios p. 545. p. 805. p. 1054 repertis. Cum autem

autem anno p. 1014 pleniora et accuratiora toti iuri feudali illustrando apprime inseruant, non piget adscribere primam Protocollari partem, quae ita se habet: *In Dei nomine Amen.* Cum nobilis vir Henricus filius D. Qualdinelli de Bissariis de Vincentia pro se et Singifredo eius fratre, peteret a Reuerendo in Christo patre D. Petro permissoне diuinam Vicentino Episcopo, inuestituram sui recti feudi, quod olim praefatus pater suus habuit et tenuit ab ipso domino Episcopo et Episcopatu Vicentino, videlicet possessionem bonorum et iurium posttarum et positarum in villa Cofiae fabricae Vicentini districtus et cultura ciuitatis Vicentiae, quos et quae ipse nunc et dictum eius fratrem tenere, possidere et recognoscere, possedit, tenuisse et recognovisse asserit ab ecclesia Vicentina, se paratum praestare praedicto domino Episcopo recipienti pro se et ecclesia Vicentina fidelitatis consuetum et debitum iuramentum. Idem Dominus Episcopus eisis et examinatis iuribus et rationibus praedictorum Dominorum Henrici et Singifredi eius fratribus, inuestitura videlicet D. Bernardi olim Episcopi Vicentini proximi antecessoris sui facta in dictum D. Qualdinelum patrem praedictorum Henrici et Singifredi, scripta charta de inuestiture per Bartholomeum dictum Cupianum Notarium publicum. Visa quoque inuestitura in dictum D. Qualdinellum facta per ipsum D. Episcopum, scripta manu Petri de Piperna Notarii et ut etiam dicti fratres ad exhibitionem obsequiorum ipsi D. Episcopo successoribus suis et Episcopatui Vicentino fortius euenerint, salvo iure Episcopatus et alterius cuiuscunq; memoratum Henricum devote recipientem pro se et Singifredo fratre suo praedicto cum annulo, quem habebat in manu, inuestiuit denominatis possessionibus, bonis et iuribus, secundum quod dictus D. Qualdinellus eorum pater tempore vitae sua habebat et tenebat et inuestitus fuerat per dictum D. Bernardum Episcopum Vicentium, Praedecessorem ipsum D. Episcopi et ipsum D. Episcopum Datum Vicentiae in aula Episcopali ante capellam S. Nicolai Episcopatus praesentibus religiosis et discretis Viris — — — et aliis. Sub anno a nativitate Domini 1291. Indiſt. V. die Lunce XXVI. Novembr. Pontificatus D. Nicolai Papae IV. anno quarto etc. Et ego Martinus olim fratrī Rayneri de Cesene Imperiali auctoritate et nunc dicti Episcopi Notoriū praedictis interfui et rogatus scripsi et publicauī meoque signo consueto signauī. Quanta lux ex his aliquis monumentis

10

iuri feudorum assundatur. omnibus appareat, sed an libri feudorum protocolli feudalis meminerint, nunc videamus.

§. V.

De Breui testato in libris feudorum differitur.

Etsi historiam iuris feudalis ex ipsis feudorum libris narrare vix consulum arbitrer, in singulis tamen capitibus plane praeteriri nec possunt, nec debent. Iltis temporibus, quibus consuetudines feudorum in Italia compositae fuerunt, iam breuia feudorum fuisse recepta, ex illis ipsis, quorum supra meminimus, monumentis, perspicitur, sed an Protocolli feudalis mentio fiat, omnino quaeritur. Ipsum verbum non adhiberi manifestum est, sed auctores istius iuris multa ex commentariis iudiciorum feudalium haussisse, atque Gerhardum Nigrum et Obertum ab Orto, Consules Mediolanenses, opiniones suas saepe ex commentariis curiae Mediolanensis illustrasse, interdum solum usum curiae suae pro iure venditasse, ex illis ipsis fragmentis locisque intelligimus, quae auctor consuetudinum feudalium passim libro inferuit suo. At enim cum vasallorum probatae saepe ex breui testato promuntur, merito quaeritur; quid sit illud, cuius tam frequens fit mentio in probationibus feodalibus, breue testatum? fuisse instrumentum in curia feudali consecutum, nullam plane dubitationem habet, quippe cum alia documenta in probanda inuestitura caussique feodalibus vix adhiberi possint, idque testatum II. Feud. 32. non a partibus, sed ab alio scriptum, II. Feud. 25. autem instrumentum publicum, et II. Feud. 2. a tribus vel duobus paribus confirmatum dicatur. Erat igitur instrumentum publicum in curia feudali de actu in primis inuestiture conformatum et testium subscriptione munitum. Scriptorem fuisse tabellionem publicum ex multis documentis illisque ipsis, quas supra excitauiimus tabulis patet, deinde testes curiae pares adesse oportebat, nisi forte dominus curiam paribus instruetam non haberet II. Feud. 33. §. 1. aut non de prima inuestitura, sed alio actu feudali quaereretur, tum enim alios quoque testes fuisse admissos dubitari nequit, quem morem apud Mediolanenses in prima adeo inuestitura obtinuisse II. Feud. 32. relatum legimus. Ex commentariis iudiciorum feudalium haec

haec testimonia deponita fuisse non solum loci supra allegati probant, sed II. Feud. 76. Protocolli feudalis memoriam his verbis comprehendere mihi visus sum: *si cui militi, inquit auctor, fidelitas requista fuerit a domino, dominus secundum quosdam LIBRVM militi ostendere debet, et miles eam facere debet, aut parium laudationiflare intra annum.* *Liber autem, qui vasallo ostendi soleat, non necessitate fieri sed voluntate.* Est enim quoddam signum requistae fidelitatis memoriae causa. Itaque secundum mentem huius loci liber in iudicio feudali conscriptus a domino profertur, quo militem feloniae reum faciat, id tamen sponte et sine necessitate fieri dicitur, quia militis est iusto tempore fidelitatem offerre, idque, si felonie argatur, probare. Talis testata in monumentis Italiae plura extant: vnum ex VGHELLO Ital. Sacr. Tom. V. pag. 805. adscribam ita conceptum: *Die Veneris VIII. exente Ianuario in praesentia D. Conradi Cardinalis et Episcopi Sauonensis — — — D. Friedericus D. Gr. R. Imper. Aug. inueniuit. D. Riprandum Veronensem Episcopum de toto honore et districtu, quod imperium habet in Episcopatu et Comitatu Veronae, secundum antiquum consuetum usum. Quo factio praenominatus Episcopus statim ei fecit fidelitatem, sicut principi suo Imperatori et eius filio, Regi Henrico, tanquam suo Regi et quod adiuuabit eum manu tenere regnum et imperium et coronam et praecepue ciuitatis Veronae cum toto suo comitatu et districtu contra omnes homines, et supradictus Archiepiscopus, qui dedit fidelitatem, statim fidelitate facta, dixit D. Episcopo Ripando, coram domino Imperatore et coram omnibus supra scriptis, totum quod factum est, factum est saluo ordine nostro. Actum fuit hoc Mediolani ad dominum Canonicorum die S. Ambrosii anno Domini 1186. Indict. IV. Has tabulas accepit ipse Episcopus vasalus, quas equidem pro breui testato, cuius feudorum libri frequenter meminerunt, habere non dubito.*

§. VI.

De Protocollo feudali breuiter ex monumentis Germaniae differitur.

Quando in Germania inualuerit mos conficiendi acta publica in iudiciis Germaniae feudalibus certo definire non audeo, neque

vacat omnes lustrare tabulas, ex quibus forte prima huius rei vestigia animaduerti possint. In vniuersum tamen dicere ausim, seculo XIII. inualuisse, vt in curiis Principum et Seniorum Notarii adhiberentur, qui gesta et acta in commentarios fidei et memoriae causa referrent. Manuauit hic mos ex Italia primosque Notarios inde aut vocatos aut iuris legumque scientia ibidem imbutos fuisse, maneflum est. In curiis Imperatorum iam inde ab aevo Francorum, scribae et Cancellarii legum periti affuere. In iudicis autem et curiis Principum Germaniae ultra seculum XIII. et superioritatis territorialis origines adscendere non licet. Iam enim Principes regimen Caesareum imitati etiam in suis curiis personas publicas ordinarunt, quae gesta et acta conscriberent. In tabulis an. CIOCCLV. apud LVDEWIG. Reliqu. M^cTororum Tom. I. n. 53. et 54. memoratur magister Christophorus, Protonotarius D. Marchionis, idemque in tab. anni CIOCCLVI. p. 81. apparet, atque in Charta anni CIOCCXLVI. n. 62. p. 88. Henrici scriptoris sui meminuit Misnensis Marchio, et subscriptio tabularum p. 90. ita finit: Testes sunt Magister Geberhardus NOSTRAE CVRIAЕ PROTONOTARIVS, nobilis Vir Dominus Ioannes Burggrauius de Wittyn, Albertus Dapifer de Burne, Henricus de Waldow et ali⁹ quam plures. Ex his alisque apud GERKENIVM, ERATHVM aliasque au^glores tabulis passim allatis intelligitur, in curiis Principum perpetuos adhiberi coepisse Notarios, ex ordine clericorum fere lectos, ideoque magistros appellatos, qui fide et auctoritate publica gesta et acta in commentarios referrent atque inde ipsis vasallis tabulas et sua et parium auctoritate munitas, darent. Quos quidem commentarios in utilitatem dominorum in primis institutos a vasallis potentioribus in dubium subinde vocatos ideoque priuilegiis Caesareis munitos esse, reperimus. Ex tabulis CAROLI IV. Archiepiscopo Treuirensi apud LVINIGIVM Corp. Iur. Feud. T. I. p. 387. vasalli ministeriales, castrenses, ciues, oppidani aut subditi Archiepiscopi, tam ecclesiastici, quam seculares, etiam si quis ministerialis aut vasallus ipsius Caesaris seu imperii foret, ad iudicium imperialis aut regalis curiae vel alterius cuiuscunq; super quacunque cau/a trahi vetantur iniuiti, sed eorum Archiepiscopo simili regali vel imperiali aulae iudiciorum formam exercere atque una sola pro omnibus terminis citatione vti

vti permittitur. Quibus personis, in iudiciis suis etiam feudalibus, vti possit, et quatenus actis iudicium tanquam veris flari oporteat, exprimitur. Hunc locum de fide et auctoritate protocolli feudalis agere, ex tabulis ibidem p. 390. n. v. allatis, aliquanto clarius intelligitur, quas tamen infra afferre commodius videtur.

II. DE FIDE PROTOCOLLI FEVDALIS.

§. VII.

De forma Protocolli feudalii hodierna.

Iam fidem protocolli feudalii persequar. Cum enim quae geruntur et aguntur in curia feudali ideo in commentariis publicis referantur, vt de gestis et actis publicum extet apud posteritatem etiam testimonium, necesse est, vt solemniter et bona fide omnia confreibantur. Quam ob rem vt ne villa de fide scriptoris, cuius auctoritate instrumentorum publicorum fides nititur, dubitatio superbit, publicam personam et iureiurando ad hos ipsos commentariis scribendos obstrictam esse oportet. Id enim similia Germanorum instituta ac leges edocent et Notariorum in primis creatio atque officium, a quibus manauit mos ordinandi personas publicas in iudiciis curiisque, quarum fide et auctoritate, quod gestum, actum, scriptum esset, constaret. Deinde ipsi commentarii in re praesente confici debent, vt scriptor gesta et acta, propriis sensibus percepta, in protocollo referat, id quod IUSTINIANVS Nov. XLIV. cap. I. recte constituit. Cum olim in curiis clientelaribus Notarii publici adhiberentur, quos hodie a scribis, secretariisque iudiciorum et curiarum saepe distinguimus, quaeritur, an iudiciorum clientelarum tabellio Notarius Caesareus simul esse debeat? Mihi non videtur. Fides enim non ex munere Notarii, sed ex iureiurando interposito oritur, vt hoc solum ad fidem publicam commentariis iudiciorum feudalium conciliandam sufficere videatur, neque quidquam referre, scriba et secretarius, an chartularius, tabellio, notarius,

rius, vel Protonotarius appelletur. Id tamen mihi inde intelligere posse videor, Notarium publicum a scriba seu secretario curiae clientelaris substitui posse, a quo commentarii eadem fide conficiantur. Denique ipsam curiam feudalem cum domino eiusue vicario, in cuius praesentia et consensu quidquid geritur, agitur, contrahitur, mox conferribatur, adesse debere, statuo. Negotia enim feudalia, que publicam auctoritatem desiderant, sine paribus curiae explicari non possunt, II. Feud. 10. II. Feud. 33. licet ipsa auctoritas a solo domino proficiscatur. Quod ad formam Protocolli externam attinet, Secretarium solemnitatibus in Notarii instrumento adhiberi solitis, adstrictum negauerim, neque ex *Constitutione MAXIMILIANI I. an. 1512. §. 3.* sed ex *Nouella IUSTINIANI XIV.* definendam, simul tamen ex natura rei et curiae feudalis consuetudine aestimandam puto. Quodsi enim seriem rei gestae relata, locum et tempus notatum, curiam Parium congregatam ex illis ipsis commentariis intelligi possit, scriptosque esse a persona publica constet, plenam ipsis fidem adhibendam plane dubitari amplius non posse videtur, modo ne ex indice et exemplo alterius scripturæ, sed ex authenticō proferantur.

§. VIII.

De probationibus ex Protocollo feudali in disceptatione causarum feudalium petendis.

Cum in disceptationibus causarum feudalium, etiam probationes exigantur, quas aut testibus curiae paribus extraneis, aut litterarum clientelarum aliarumue scripturarum fide, aut iuris iurandi modo a vasallo, modo a domino praefiti, auctoritate constare pateat, queritur, quam fidem et auctoritatem in disceptatione feudali mereatur protocollum feudale. Vis quidem probandi ex natura et indole documenti publici facile definiri ideoque vterioribus allegationibus carere potest, sed protocollum est instrumentum omnium

omnium eorum commune, qui ius aliquod in feudo habent, vt
 inde rectam probationem et vasalli et simultanee inuestiti et domi-
 nus atque adeo etiam extranei iure suo petant. Vasalli quidem
 inde inuestitram, tam primam, quam renouatam, depromere,
 negligentiam in renouanda inuestitura imputatam, cum iusto tamen
 tempore petita fuerit, amoliri, accessiones feudi, omnemque eius
 cauam demonstrare, atque etiam singularia, quae praeter naturam
 feudi ex propria conuentione placuere iura, definire poterunt.
 Quamquam enim vasallus haec omnia ex litteris inuestitorum fa-
 cilius atque commodius probare potest, eundem tamen ad proto-
 collum feudale confugere, eiusque editionem petere oportet, amis-
 sis aut non datis inuestitorum litteris. Atque eundem in mo-
 dum simultanee inuestiti iura sua tam contra vasallum, quam domi-
 num atque extraneos ex commentariis iudiciorum feudalium euin-
 cere poterunt, vt plura alia, quae in disceptationem venire solent
 capita, taceant, veluti si arguatur vasallus sine venia et consensu
 domini vel alienasse vel oppignerasse feendum, aut si paecta conuenta
 cum simultanee inuestitis inficiari velit vasallus, aut si de ordine
 succedendi conuentionali disputatione inter simultanee inuestitos.
 Ipse dominus in causis feudalibus saepe actoris partes sustinet, ve-
 luti in speciebus *I. Feud. IV. §. 3. 4.* relatibus, pluribusque aliis exemplis,
 neque dubitandum, quin, praeter alias probationes, recte ad com-
 mentarios iudicii feudalis prouocet. Itaque vniuerse dicendum in
 omnibus rebus, quae coram paribus gestae et in acta publica rela-
 tas fuerint, plenam probandi vim illis ipsis actis etiam pro domino
 tribui oportere, quod quanquam hodie nemo facile dubitabit, olim ta-
 men a potentioribus vasallis negatum fuisse legimus, vt auctoritas pro-
 tocolli priuilegiis Caefareis vindicanda videretur. Archiepiscopus Tre-
 uirensis an. 1442. a FRIDERICO III. AVG. memorabile impe-
 trauit priuilegium, quod ex *LVINIGII Corpore iuris feudalis T. I.*
p. 390. adscribere placet. Per bella in confiniis inque ipso episco-
 patu gesta inuestituras et feudorum renouationes neglectas conque-
 ritur Archiepiscopus: *Das solcher Zwietracht wegen die Lehen nicht
 ordentlich geliehen, auch etliche solche Lehen, Pfandschaft und anders
 betreffende durch Hülfe und Beystands Willen den Partheyen oder sonst
 übergeben*

—

übergeben, verwirkt, und entfremdet worden seyn — Darum er besorge, daß in den künftigen Zeiten seinem ehegenannten Stifts solche Lehen, Pfandschaft und anders mögten gelegenet, oder abgezogen werden, wiewohl die in seinen Lehnbüchern, die man Mannbücher nennt, verzeichnet, und beschrieben habe. Sanxit igitur AVGVSTVS — Daß solche des ehegenannten Stifts Mannbücher zu behalten, dßselben Stifstlehn, Pfandschaften und anders, wie man das nennen mag, kräftig und in Macht seyn sollen, also ob die Briefe, die man in den ehegenannten Mannbüchern aufgeschrieben, verzeichnet findet, als vorgemeldet ist, durch Krieg und Unrath vielleicht wären entfremdet worden, daß denn solchen Mannbüchern und alten Schriften gleich den Hauplbüchern gegläubet und der Stift dadurch nicht gekürzt werde.

Quam quidem probandi vim et auctoritatem protocollo feudali etiam sine priuilegio inesse arbitror. Sed olim, quod naturali et ciuili iure comprobatum erat, saepe priuilegiorum tutela contra calumniam egabat.

§. IX.

Ambiguitates quaedam expenduntur.

Fieri sane potest, vt in vna eademque causa vtrinque profertantur documenta sibi contraria ambiguumque sit, vtri fides adhibenda videatur. Scripturas diueras fidem sibi iniucem derogantes, ab vna eademque parte prolatas nihil firmatis habere Leg. 14. Cod. de fide instrum. rescriptum et cop. XIII. X de fide instrumentorum probatum legitur, idem vero in documentis vtrinque prolatis non obtainere, manifestum est. Itaque in disceptatione feudalium quae euenire potest, vt dissensionibus inter protocollum feudale, breve testatum, litterasque investiturarum deprehensio, quaeratur, cuinam documenta fides et praerogativa tribuenda sit? Equidem commentarios curiae clientelaris omnibus aliis anteponendos, explanationemque reliquorum instrumentorum inde petendam esse statuo. Breue enim testatum atque ipsae investiturarum litterae ex illis ipsis commen-

commentariis confici solent, ideoque necesse est, ut auctoritati eius cedant, indeque emendationem accipient, idem etiam in protocollo notariorum instrumentisque inde confessis constitutione *Maximiliani I. de Notariis* §. 5. vt obtineat, statutum est. Neque facile credo, allegabit aliquis, contra eum fieri oportere interpretationem, qui clarius loqui debuisset, quippe cum haec regula inter partes contrahentes quidem obtineat, vsum autem perdat, si de dissensione documentorum, quorum vnum ex altero, pari tamen fide confessum fuerit, agatur: quid? quod ne tunc quidem illa regula abhiberi posse videtur, si commentarii isti pro domino, breve testatum et litterae clientelares pro vasallo allegentur. Scriptor enim protocolli feudalis, persona ipsius curiae publica, neque dominum neque vasallos repreäsentat, sed medius est, suaque fide gesta et acta in curia feudali sustinet. Itaque dissensione inter protocollo et litteras clientelares deprehensa, dominum apertius loqui oportuisse, dici et contra ipsum interpretationem fieri debere, statui nequit. At vero alia errorum in ipsis commentariis admisorum est ratio. Fidem ipsi protocollo derogari non posse, nisi forte falsi arguatur, certum est: erroris tamen conuinci posse non negauerim, quem testibus curiae paribus, qui in ipso affluere actu, corrigi et emendari posse ac debere puto. Etenim ipsum scriptorem, errorem a se commissum emendare non posse, inde patet, quod certam eius rei notitiam non accepit, ideoque id ipsum *MAXIMILIANVS I. in lege de Notariis* §. 22. statuit, *IUSTINIANVS* quidem *Nov. XLIV.* constituit, ut tabelliones ipsi per se omni modo instrumentum ordinent et negotii notitiam habeant, vt si a iudicibus interrogentur, scire et respondere possint: sed hanc sanctionem non ad emendandos errores, sed partes forte negantes conuincendas pertinere, palam est. Itaque auctoritate parium fidem protocolli infringi, errorisque redargui oportere, ex *Nov. LXXXIII. c. 3.* contendи potest. Tandem etiam de amissione instrumentorum feudalium dicendum. Quod *L. X. Cod. de fide instrumentorum* rescribitur: *Agorum interitu veritatem conuelli non solere, etiam hic valebit.* Litterae quidem clientelares, aliaque documenta ex commentariis curiae feudalis confecta facile redintegrabuntur, sed illis ipsis commentariis aut igne

absuntis aut alio quo modo cunque deletis, non facile redintegrari poterunt; moderandae igitur sunt probationes, vti in tali casu fieri solet, quamquam aut breui testato aut litteris clientelaribus fidem ea de causa derogari posse, nemo opinabitur.

ULB Halle
005 482 992

3



1078



428

1788, 8.

PROTOC DALI

ILLVSTRIS IC ITATE

D. CHRISTIA ENERO

IVRIS NATV

A. D. III.

GOTTLOB A LERVS

EX OF

